



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 72. Ludovicus de Torres Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.  
A. C. 1609.

§. LXXII.

*Ludovicus de Torres Cardinalis  
mortuus.*

*Ciacon. vita  
Pauli V.*

Postremus ex Purpuratis hoc anno defunctis erat Ludovicus de Torres patria Romanus, qui anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo in lucem editus, ac humanioribus literis eruditus Philosophiæ operam dedit, & Perusiam primo, mox Bononiam profectus, cum insignes in utroque jure progressus fecisset, Doctoris laurea decoratus in patriam reversus est. Ibi Sacris initiatus, atque inter utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarios cooptatus *Episcoporum rituale* emendare jussus est, ipsosque Baronii Cardinalis Annales, priusquam in lucem ederentur, recognovit, correxitque: Demum Montis Regalis Archipræsul a Sixto V. creatus, vitæ suæ parsimonia familiæ suæ necessitates & pauperum inopiam mirifice sublevabat, passim *Pater Pauperum* proclamatus, qui etiam ad pauperum clamores a Paulo V. anno Domini millesimo sexcentesimo sexto Cardinalis tit. S. Pancratii renunciatus est, quam Ecclesiam vetustate ferme collapsam restaurare cæpit, quamvis hoc opus morte præventus perficere  
non

non potuerit: reparato tamen Palatio Sæc. XVII.  
 Archiepiscopali Seminarium instituit, A. C. 1609.  
 illudque instructissima Bibliotheca lo-  
 cupletavit

Insuper pauperes, stans per hebdo- Roth. Pyrrh.  
 madam diebus, cibariis, pane & vino in not. Ec-  
 reficiens, plures Ecclesias insigni prorsus cles. Sic.  
 munificentia exornabat. Erat Ludo- Marrac. in  
 vicus, si quis alius, Ecclesiasticæ ju- Purp. Ma-  
 risdictionis ac libertatis vindex acer- rian.  
 rimus, Vir animarum salutis studiosis-  
 simus, pius, atque in pastorali solli-  
 citudine indefessus, unde quamvis Bi-  
 bliothecæ Vaticanæ & Sacrorum Ri-  
 tuum Congregationi præfectus, variis  
 iisque gravissimis negotiis distentus ef-  
 fet, nihilominus ipsemet pueros prima  
 fidei rudimenta edocebat, in Templo  
 sæpius ad populum de divinis rebus ser-  
 monem habebat, ad ægrotos maxime  
 pauperes Eucharistiam deferrebat, ur-  
 bisque suæ Vicos ipsemet perlustrabat,  
 ut eo certius sciret, quibusnam neces-  
 sitatibus tum animæ tum corporis pau-  
 peres premerentur. Tandem condi-  
 gnam meritis mercedem recepturus die  
 nona Julii Romæ animam Deo reddidit:  
 Vixit annos quinquaginta octo, sepul-  
 tus in Ecclesia sui Tituli. Edidit præ-  
 ter Synodum Montis Regalis a suo Pa-  
 truo habitam Regulas oppido salutares  
 pro Monialibus, descriptionem Regalis  
 Templi

Sæc. XVII. Templi & Monasterii S. Mariæ Novæ,  
 A. C. 1609. Vitam Joannis Verferæ clarissimi Poe-  
 tæ, Historiam Ecclesiæ Montis Regalis,  
 Discursus elegantes, & pios in Anti-  
 phonam *Salve Regina*, Pragmaticas San-  
 ctiones pro Regno Siciliæ, ac denique  
 nonnulla ad Historiam Pontificiam  
 spectantia.

## §. LXXIII.

*Bibliotheca Ambrosiana Mediolani  
 instituta.*

*Balduin.  
 Junii Chron.  
 moral. Just.  
 Lips. Cent. V.  
 epist. 88.*

Hoc anno Fridericus Borromæus Car-  
 dinalis & Archiepiscopus Medio-  
 lanensis amplissimam Bibliothecam, quæ  
*Ambrosiana* vocatur, Mediolani instruxit  
 libris tum manu exaratis tum editis  
 ex universo orbe conquisitis locupletif-  
 simam: In eo autem potissimum depræ-  
 dicandus, quod insuper huic Biblio-  
 thecæ illustre Virorum eruditorum Col-  
 legium adjecerit, ex quo postea veluti  
 ex Doctorum seminario Professores omni  
 scientiarum genere exculti assumeren-  
 tur; plurima enim passim Collegia, aut  
 Scholæ pueris vel juventuti efforman-  
 dæ destinatæ fuerunt hæctenus institutæ,  
 antehac tamen nullus existit, qui sol-  
 licitus fuisset de Doctoribus eligendis,  
 alendis atque ejusmodi Viris efforman-  
 dis, qui alios utiliter instituere vale-  
 rent: